



Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús María>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XV. Docet oblectament a varia respuenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

meo, Diligam vos (ut Ionathas David)
 sicut animam meam : & laborum ve-
 strorum fidelissimus consors ero. Qui
 tetigerit vos tanget pupillam oculi
 mei: & ex amoris magnitudine, ut nu-
 tritus vester alam vos dulcissimo la-
 ste meo. Quid moramini, ô duri corde,
 amicitiae humanæ renunciare, ac me-
 diis visceribus imprimere beneuolen-
 tiā meam? Recedite à tabernaculis
 impiorum, qui fraudulenter amant, ne
 inuoluamini in peccatis eorum : & a-
 micitiam meam studiofissimè requiri-
 re. Certè, ne vobis molestum videatur,
 & amicos multos ad interitum, per-
 trahentes relinquere, vnus ergo meli-
 or illis omnibus, ac fidelior non solùm
 amicus, sed & frater, & pater amantif-
 simus ero.

CAP. XV.

Docet oblectamenta varia responda.

VANI sunt sensus hominum, qui-
 bus non subest senectus mentis,
 & maturitas sapientiæ meæ, Non satia-
 tur oculus visu, nec auris impletur au-
 ditu: & videntur sibi filij Adæ sapien-
 ter agere, si nimis humana oblecta-
 menta

menta, & exercitia quærant, deposito
exercitio timoris, & amoris mei. Cau-
santur otij fugam etiam ij, qui viden-
tur supra modum spirituales, & ma-
gnam diei partem Mathematicis disci-
plinis, Architecturæ, aut picturæ, aut
eiusmodi artibus impendunt. Quid est
hoc? Filij hominum usquequid graui
corde? ut quid diligitis vanitatem, &
pro veritate mea, quæritis mendaci-
um? Si Architectura placet, an superna:
Ierusalem non ædificatur ut ciuitas,
cuius participatio eius in idipsum? Cir-
cumspicite structuram ciuitatis meæ,
fundamenta posita in montibus san-
ctis, murū in quadro lapidibus ex viuis
cosurgētē, portas ex sapphīro, & sma-
ragdo artificiose cælatas, p̄æalta tur-
res, quæ eminēt in lateribus Aquilonis,
& vniuersas edificij partes, quæ ciuita-
tem Regis magni decent. Si pictura
placet, intuitum figite in splendoribus
sanctorum & imagines viuas, ubi lu-
cet dulcissima pulchritudo mea, con-
templamini. Candorem illū niue puri-
orem, & ruborem porphyrite perfe-
ctiore, quo splendet immortale corpus

B. 6.

meum,

36 De Prudentia iustorum,

meum, cogitate. An non consideratis, per exercitia hæc vestra, vos, ad salutem æternam parùm proficere? Et si enim otium vitetis, meliorum tamen bonorum damna patimini: quæ vitare deberetis. Vigilate ad postes ostij mei, & exercitia ad æternitatem profutura feligite. Visitate domos orphanorum; subuenite egeno, & pupillo; esurientem animam recreate. Ludite mihi in organis carminum Domini, in cætu suauè sonantis Ecclesiæ meæ, & scripturæ sacræ campos perlustrate. Hæc & eiusmodi alia sunt oblectamenta quærentium Deum, quærentium faciem serenissimam Dei Iacob.

CAP. XVI.

Docet gulæ vitium fugiendum.

EX quo, per cibum veritum, peccatum Adam pater vester, prohibita coniuia sectamini, filij hominum: & nisi saturati fueritis, murmuratis. Corda vestra grauantur crapula, & ebrietate, & solas Aegypti ollas cogitatis. Quænam ruditas est hæc? An escæ profuerunt ambulantibus in eis? Certè nimis

